

CHRYSORRHOAS, SIVE  
DE ARTE CHEMICA DIALO-  
GVS, QVO PRÆCLARISSIMAS HVIUS

Scientiæ actiones, rationi ac rationalibus princi-  
pijs consentaneas esse demonstrat: im-  
postorum vero & sycophanta-  
rum somnia & nu-  
gas detegit.

*Chrysophilus,*

*Theophrastus.*

**R**ERPETVAM illam ac communem hominum  
miseriam deplorare non satis possum, cum vide-  
am omnia ea, in quibus bonorum etiam vix um-  
bræ versantur, tam esse difficilia ac intricata, vt  
nancisci illa nedum millesimus quisque possit: naçta tan-  
dem, tam celeri pede nos fugiant. At ea rursus, quæ cum a-  
trocitate, periculis, omni denique malorum aceruo con-  
iuncta sunt, ita nobis constanter immineant, vt conspirasse  
in humanam perniciem iudicari possint. Momêto enim pes-  
sumimus, miseria, paupertate, infirmitate, doloribus obrui-  
mur: vt autem felices simus, vt ditemur, vt sanemur, multis  
annis opus est: vt non indigeamus, vix vlllo seculo nobis con-  
tingit. Etenim quantum res meas attinet, in ea plane con-  
ditione versor. Nam cum à vitæ meæ quasi exordio, nihil  
prius (quod fateri tamen palam erubesco) in optatis habue-  
rim, quam vt admodum ditescerem: atque ipsius auri sitis me-  
torum corripuerit, absolutam tamen id consequendi metho-  
dum nondum sum consequutus. Desperans licet voti me fu-  
turum compotem, extrema tamen quæque experiri lubet, i-  
psamque artem, quam Alchemisticam vulgus dicit, iam ali-  
quamdiu intermissam, fauente Mercurio, rursus aggrediar.  
Sed video obambulantem illic Theophrastum ab Hohen-  
heim, hominem, si quem Germania vnquam tulit, huius ar-  
tis absolutum artificem, quem si eam in sententiam perdu-  
cere possem, vt mihi in hoc natatu adiumento sit, futurus  
sum proculdubio hominum felicissimus. Ipsum primo ma-  
gificis promissis, post etiam minis aggrediar. Salue amico-  
rum præcipue, ô Theopraсте. Theop. Saluus sis tu, ô lepidum  
caput.